

memoriam; quae posteris usque eo gravis est, ut abs-
 que communi in impios odio quasi corruptores generis
 2 exsecrabiliores sint. Bello plane impiger; quo in Qua-
 dos prospere gesto Septembrem mensem Commodum
 3 appellaverat. Moenia Romae potentia vix digna la- 5
 4 vandi usui instituit. Immiti prorsus feroque ingenio,
 adeo quidem, uti gladiatores specie depugnandi crebro
 trucidaret, cum ipse ferro, obiecti mucronibus plum-
 5 beis uterentur. Cumque eo modo plures confecisset,
 6 forte eum Scaeva nomine, audacia ac robore corporis 10
 pugnandique arte pervigens, ab studio tali deterruit;
 qui spreto gladio, quem inutilem cernebat, sufficere
 6 utrique ait, quo armabatur ipse. Eo metu, ne inter
 congressum, uti solet, extorto pugione conficeretur,
 Scaevam removit, atque ad alios formidolosior in feras 15
 7 beluasque ferociam convertit. Quis rebus cum insatia-
 8 bilem sanguinis cuncti horrescerent, coniuravere in
 9 eum maxime proximus; quippe dominationi adeo fidus
 nemo, ipsique satellites, dum incestam mentem pro-
 namque in saevitiam cavent, a quibus eorum potentia 20
 sustentatur, quoquomodo subruere tutius putant, et
 Commodum quidem primo occultatius veneno petivere,
 8 anno regni tertio fere atque decimo. Cuius vis fru-
 strata per cibum, quo se casu repleverat; cum tamen
 alvi dolorem causaretur, auctore medico, principe fac- 25
 9 tionis, in palaestram perrexit. Ibi per ministrum un-
 gendi (nam forte is quoque e consilio erat) faucibus
 quasi arte exercitii bracchiorum nodo validius pressis
 10 exspiravit. Quo cognito senatus, qui ob festa Ianua-